DYONISIUS DE BURGO SANCTI SEPULCRI

Niederösterreich (Raum Wien), 1399 Seite 9v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35039
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore





ca. 1

ligno ubi stare cogeret clavisque acutissimis undique confisso ut se et in nullam partem
inclinaret sine penis atrocissimis etiam iugulando perimerent. Narrat autem
Augustinus clarius huius rei hystoriam quam Valerius ait enim marcus re-
gulus imperator romani populi captivus apud carthaginenses fuit qui cum sibi
mallent a romanis suos reddi quam eorum tenere captivos ad hoc impetrandum etiam
istum precipue regulum cum legatis suis romam miserunt prius iuratione constrictum
si quod volebant minime peregisset redditurum esse carthaginem. Perrexit ille namque
atque in senatu contraria persuasit quia non arbitrabatur utile esse romane rei publice
mutare captivos nec post hanc persuasionem a suis ad hostes redire compulsus est
sed quia iuraverat id sponte complevit. ¶ Ad sui autem fidem atque constantiam
commendandam dicit ibidem Augustinus deos ille sic coluit ut propter ius iurandum
fidem nec remaneret in patria nec inde quolibet ire sed ad suos accerrimos inimi-
cos redire minime dubitaret. ¶ Potuerunt etc. hic valerius tacite ponit crudelitatem
carthaginensium dicens dii immortales profecto potuerunt efferatam et horribilem
mitigare sevitiam atque crudelitatem impediendo tanti viri mortem. Ceterum quo cla-
rior esset atilii gloria ac famosior passi sunt ipsi dii immortales uti carthaginenses
in omnibus suis crudelibus et efferatis religiosissimi spiritus tam crudeliter vexati iusta
exacturi piacula et multas penas tertio punico bello verbis eorum interitu. nam iterum
bello punico scipio totam urbem carthaginensium delevit quam dii immortales penam
pro atilii gloria inferri permiserunt.

Quanto etc. Ultima huius capituli hystoria que talis est post miserabilem conflictum
romanorum cavensem in quo per maxima fuit strages ipsorum ut infra pa-
tebit ipsi romani edicto fecerunt ne femine ipsorum ultra trigenta dies luc-
tus extenderent ad hoc ut ipse possent cereis sacra peragere eo quod femine tantum illius
sacra peragebant et sic non obstante dolore cogebantur aris thura dare quia constantia
dii quasi ruborem patiebantur ulterius contra illam gentem sevire que nullo modo
dolorem ab ipsorum cultu poterat removeri. Dicit ergo auctor Senatus carthaginensium cru-
delis non obstante iuramento quo in deos fecerat in regulum fuit sed nostre civitatis sena-
tus quanto venerabilior in deos fuit qui post cavensem cladem et pestem. Nam propter
clades dicitur pestilentia que fit per interfectionem gladio factam ne matrone ultra trige-
sinum diem luctos suos extenderent decrevit uti ab his matronis cereis sacra pagi
possent. Qua clade pene i. fere maiori parte unius romanorum inexecrabili ac diro i.
crudeli solo i. terra conensi iacente nullius penates et nullo domus meroris erant
expertes. Itaque matres ac filie coniuges et sorores uxor ac noviter in illa clade inter-
fectorum abstersis lacrimis et insignibus doloris depositis candidam induere vestem
et aris cereis thura dare coacte sunt quamquidem constantia obstinende et conservande re-
ligionis celestibus diis magnus in rectus est rubor magnaque verecundia ulterius ad
versus eam sevendi gentem que ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu abstereri
i. auferri potuit bene ergo solicitari de cultu divino romanorum exemplo debemus in quo
sentencia capituli terminatur.

ca. 2

## Capitulum secundum

Creditum est etc. In capitulo precedenti ostendit Valerius cultum divinum
esse servandum eorum exemplis qui circa ipsum soliciti fuerunt. In hoc
secundo ostendit hoc idem per exempla illorum qui a ipso defecerunt
et habet multas hystorias. ¶ Ad intelligentiam prime notandum
quod cum hannibal post multas romanorum strages in apuleam
descendisset ut ipsos acrius impugnaret missi sunt contra eum
duo consules videlicet lucius emilius paulus et publius terentius varro de
quo varrone loquitur in prima huius capituli parte Valerius dicens Creditum